

### III.

## NEOVIDENSIS

Nro 57. (*Neovidensis* Nro 80.)

---

Secretum litterarum commercium vivos in-  
ter ac mortuos.

*Vekrhlinius salutem plurimam dicit ex Cam-  
pis Elysiis cuidam suorum amicorum  
apud superos viventi.*

---

Elysium -- Meum. -- Die Martis 16. Oct. 1804. (Neov. 2 Oct.)

---

**A**n-te-quam demonstrem Ziehianam vatici-  
nationem, quam A. 1780 pluribus observa-  
tionibus illustravi, re ipsa evenisse, lubet  
primum meos amicos ad eum statum redu-  
cere, in quo fuimus, dum Propheta Zie-  
he comparuit. Produco compendium mei  
scripti.

Si correctio Ziehianæ divinatoriæ fabu-  
læ potest ad seriem hodiernæ historiæ re-  
ferri, forte non erit ingratum B. L. per-  
cipere, quæ de ea dicere in mea situm est  
potestate.

Nulli mortalium volo officere; sed po-  
tius uniuscujusque famam defendere: Ironiæ  
loco eam non habeo, malo credere prove-  
nisse ex incertis rumoribus. Forte optime  
fecerim, si eam veritate niti pronunciavero.

Verum fuisse, quod ea de re ad me perlatum est, nullus dubito, totum enim situm est, in recta ejus applicatione. Ego tamen ita existimo, non esse facilius tractare veritatem, atque uti divitiis; ea propter mea philisophia non est turbata proposita illa quæstione cum præmio conjuncta, per quam celebris Academia Germaniæ priores suas prærogativas intendit recuperare, quibus tamen fortunate nunquam renuncia-  
verat.

Jam mense Aprili 1780 traditum mihi fuit exemplum operis Zellerfeldensis Superintendentis Ziehe cum inscriptione: *Annunciatio nonnullarum imminentium terræ ruinarum, earumque Theoriæ.* Hanc mihi cum facultate Auctoris ex ejus manuscripto descripsit amicorum optimus. Præter præmissam fusiorem præfationem, quæ a Compileatore Hannoverano, & Brunsvicensi Gubernio dicata fuit, continet illa descriptionem magni cujusdam imminentis naturæ eventus; est autem scripta Zellerfeldini 20. Dembris 1779. Hanc excipit continuatio Præfationis de 17. Martii 1780 in qua omnia illa facta, quæ secundum dictam prædictionem jam evenerunt, ex publicis Ephemeridibus adducuntur, & explicantur. Totum denique opus concludit cum omnibus loci, & temporis adjunctis circumscripta ratiocinatio, quam ipse Auctor die 7. Aprilis 1780 propria manu suo manuscripto inseruit.

Compendium hujus opusculi, quod deinde tardius lucem publicam aspexit, mihi videndum nunquam fuit oblatum, hac de causa pro certo affirmare nequeo, an, & quantum cum prototypo consentiat, quamvis jam multa mihi in contrarium dubia occurrerint.

Author illius scripti Superintendens Ziehe fuit vir recti exempli, verbi divini minister, qui sine strepitu suo munere fungebatur, multa circumspectione, quæ ad timiditatem accessit, præditus; Nulli itaque fuit importunus, sed nec abhorrens a civilis vitæ consuetudine, aut arcanorum plenus. Ab aliquot annis indefesso labore indagabat in occurrentes hujus terræ conversiones: Summam autem convictionem illi peperit non tantum similitudo naturalium eventuum, sed etiam religiosa meditatio, quam ex Apocalypsi, & Hieroglyphico Orientalium more hausit. Hinc forte judicare erit de genio, quo ductus labori se accinxerit. Hunc ipse satis probat in alio suo opere, quod perinde per meum amicum describendum curavit, compellavitque: *Prævia universalis Instructio de edendo Hieroglyphico modo loquendi, & libro Chevila*. Inutiliter longus forem, & doctrinam proponerem, quam nemo intelligeret, si vel epitomen darem hujus scripti. Fixum est solam Divinationis historiam prosequi. Ignis, & aqua, aut horum patroni, hac ultima tristi ætate, ut notum est, con-

certant de eo, quid olim fuerit, quidve futurum sit; Ut primum de eversione alicujus particulæ Matris terræ conclamatum est, optima ratione concordia reducetur, vocando in auxilium tam inuadationes, quam erumpentes flammæ. Videtur detectio temporis, quo revolutiones enatæ sunt, præcessisse inventionem efficacium mediorum, prout experientia plerumque prius habetur de casibus, quam in eorum causas inquiretur, aut illæ assignentur.

Si Ziehius sperabat se in suis hieroglyphicis figuris epocham revolutionum inventurum, profecto Chronologia futuri temporis non minori illi stetisset labori, quam celeberrimis ejus ætatis viris: Gattererio, Frankio, Vasero, qui anteaquam tempus in calculum vocabant. Quis ausit ejus principia, secundum quæ mundi cardines determinavit, antequam ea cognoscat, simpliciter repudiare? Sed quis etiam iisdem cœce assentiri?

Ille quidem, ut suis tenebris aliquam lucem affunderet, solícite congressit, quidquid illi Mathesis, & Physica clari, ut ille putabat, suppeditavit, etiamsi illud in se, vel technica expressione fuerit male intellectum. Quotiescunque vires magnetis, & vulcani examinavit, inserviebat tempori, moras necessebat, & ut nihil dicam de argumentis, quæ ex astronomica illusionem desumsit, omnis ejus commentatio cum Chro-

nologia ruit in catinum liquatorium, ubi eo, quod facile intellectu erat, separato, remansit peregrinæ prorsus naturæ regulus. Interea Ziehius firmus perstitit in sua sententia: Certum itaque est, eundem 23. Januarii 1780 suam Annunciationem de impendente magno naturæ eventū Gubernio submisisse. Multo minus potest ambigi, si ea, quæ jam commemoravi, in memoriam revocentur, an ille fuerit auctor hujus divinatorii scripti, an alius ejus nomine sit abusus.

Ajunt nonnulli, eundem de hac sibi gratissima materia usque ad finem vitæ cum nullo mortalium verba fecisse, sed mihi in contrarium multa, & gravia suppetunt argumenta. Nam paucis ante diebus, quam vitam cum morte commutaret, invisit eum meus amicus, qui ejus scriptum, uti alias jam sæpius fecerat, in sermonem adduxit, conabaturque evincere, contentas in eo singulares opiniones attentionem excitaturas, & forte etiam damnosas impressiones facturæ, si luci publicæ committerentur. At Ziehius sedato animo inquit, vanus est iste timor, ego perspectum, exploratumque habeo, futuros millenos, qui, si de tota rei serie fuerint edocti, gloriabuntur se tali cognitione imbutos esse.

Urgebatur senecio identidem, ut uberiorem faceret explanationem, plura narra-

ret, quam quæ scriptum continebat. Verum hoc detestabatur constanter dicens: Totum opus præ oculis habendum est, ut verum possit ferri iudicium, hoc autem nondum est numeris omnibus absolutum. Interea tamen amicus meus quarumpiam rerum interpretationem extorsit, sed qua audita etiam cohorrui. Fiducia amici abuterer, si, quæ mecum communicavit, publice proponerem. Hoc tamen possum affirmare, bonum Ziehium in multis graviter esse hallucinatum.

Anno 1780 paulo post Pentecosten diem obiit supremum ex febre petechiali. Ex ejus lucubrationibus post mortem 66 plagulæ chartæ conscriptæ sunt, sed nihil perfecti prodivit, multa cum notis declarationibus congruebant. Neque de his quidquam nominatim mihi licet dicere, postulat hoc & necessitudo erga amicum, & pietas erga mortuum.

Impressum Scripti Ziehiani compendium ob suam præmissam, & multa promittentem præfationem sine dubio evasit intolérable, ideo Göttinganus Professor Lichtenbergius in ejus ignorantiam, quam in rebus mathematicis, & physicis manifestavit, post fata quoque acerbissime est invecus. Huic Philosophiæ Doctori alias benigno justam indignationem conciverunt commissi contra veritates mathematicas, & físicas

errores. Scriptum Ziechianum ille declaravit esse omni ex parte miserum opus, eoque rem perduxit, ut Ziechius vix pro tolerabili homine fanatico haberetur.

Hic sensus erat hominum, hoc iudicium de Ziechio Anno 1780. Forte jure merito exceptus est risu Auctor divinationis, & potissimum modus, quo eam proposuit. Verum Propheta Ziehe non est is, cujus levitati, ac imprudentiæ illudent omnes.

Substituamus in locum physicæ revolutionis politicam, loco terræ motus dicamus concussionem moralium opinionum, & cogemur fateri, Ziechium vere prædixisse gallicam revolutionem cum omnibus ejus corollariis, cujus eventus reipsa ejus dictis ad amussim respondit.

Dicebat nempe: Meridionalis Europa una cum Helvetia, Germania australi, & Italia physicam subibit conversionem; Anno 1786 dabitur initium. Omnino, si rem hanc politice spectemus, omnia impleta sunt. Cur hanc physicam revolutionem non nominavit politicam? Forsitan hoc vocabulum nomine Physicæ occultavit, uti omnium temporum Prophetas fecisse recordamur? Non prodiditne circa annum 1786 Historia de Collari? Non erat hæc prima tumultuum origo? Non sunt hanc subsequutæ dissensiones Parla-

menti? Non denegavit senatus Regni inscribere in acta petitem mutuum? Non sunt deinde convocati Primores regni? Non fuit postea indictus generalis conventus? Non erupit tandem ipsa revolutio, atque bellum in Germania australi, Italia, & Helvetia non est gestum &c.? Non ergo physicum terræ motum, sed politicam convulsionem opinionum politicarum, & moralium intellexit Ziehius sub nomine Physicæ. Et si in hoc sensu hodie adhuc legamus ejus vaticinationem, uno ore fatebimur, eum prorsus non fuisse hominem fanaticum, uti tunc apud omnes personabat, sed veri nominis Prophetam. Obtulit ille solenne jusjurandum ad confirmandam suæ prædictionis veritatem, ita honestus vir, qualis ille erat, non fuisset ausus in titubante, & incerta opinione ad vindictam divinam provocare.

Honor itaque sit Ziehio Zellerfeldensi Superintendententi! Pax, & gloria ejus cineribus, qui sub veritate vaticinationis, ejusque indubio exitu requiescunt! Hæc sunt, de quibus volui mundum superiorem certiore reddere. Vale.

---

\*\*\* Es sind complete Mess-Instrumente, von Vogtländer verfertigt, ganz gut und brauchbar, um einen billigen Preis zu verlassen; sie sind in einen Kasten bequem zum Reisen eingepackt. Das Nähere können Liebhaber bei dem Hrn. Regim. Adjutanten vom E. H. Ferdinandischen Infanterieregim. erfragen.

---

N

D  
Ster  
Eccl  
nec  
viver  
Vol  
est  
in C  
rem  
Mag  
own  
The  
oris  
mul  
atus  
cleri  
me  
sias  
The  
quo  
Pre  
rio  
ing  
hou  
co  
Ely